



195
2

VANVS
DIEI VLTIMI

AVGVR

ORATIONI
IN MEMORIAM BENEFICII
RICHTERIANI

HABENDAE

PRAEMISSVS

A

M. IO. GOTTL. BIDERMANNO, R.

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXV.

Si fata votis et vaticiniis Heynianis responderint, praefens annus, in quo versamur, MDCCLXV. insignis euadet ac plane singularis, spei meliorum temporum atque instanti mundi fui aperte praelufurus. a) Quod licet nouum videatur atque attentione dignum: eandem tamen fabulam, mutatis personis ac temporibus, iam dudum actam, imo omni fere aetate huius generis vanos augures fuisse, qui diem mundi praedicerent, rerum publice gestarum annales passim testantur. Ipsum enim Adamum, humani generis auctorem, eam de stato ac certo mundi interituri die sententiam diuinitus reuelatam posteris tradidisse, Iudaei statuunt, quam MENASSEH BEN ISRAEL his verbis concepit: b) *Cabalistae, diuini Theologi, quos Plato sequutus est, c) docent, mundum inferiorem quibusque septem mille annis, caelum autem quinquaginta annorum millibus locum nouo mundo et caelo factura. Haec aiunt Adamum Setbo, hunc Henoch, hunc Noach, hunc Semo, hunc Hebero, et Hebraeorum patriarchis tradidisse, postea idem à Mose confirmatum fuisse, et per diuinos illos sex creationis dies significari, qui sex millia annorum repraesentant, quia psalmographus ait: d) dies domini est mille anni, et mille anni in oculis tuis sunt sicut dies unus. Quam sententiam Talmudistae in traditione domus Eliae Thisbitae, de mundo per spatium sex mille annorum duraturo, repetierunt atque amplificauerunt, quae tam in Tractatu Sanhedrin, e) quam in Auoda Sara f) his verbis indicatur: traditio est domus Eliae, sex mille annis mundum esse duraturum. Bis nempe annis inane erit, et bis mille annis Messias regnabit. Hoc figmentum poeta his numeris est complexus:*

Annorum stabit tantum sex millia mundus,

Post totus missus victus ab igne ruet.

Seruabunt nullam Domini duo millia legem:

Lex duo praescripta conditione reget.

Messiae solitam tribuent duo millia laudem, etc.

Haec quam aperte Iudaeorum vanitatem atque audaciam produunt, qui ubique fere loqui solent, quando oracula diuina tacent, ne quid ignorare videantur; tam blasphemum illorum est excusatio, qua prorogatum Messiae aduentum tuentur, CAMPANELLA teste, f) ita nugantes: *Sicut sol quarta die creatus fuit: ita etiam Messiam in quarto millenario aduenturum fuisse, propter peccata populi autem aduentum illius esse dilatum, quia Deus fuerit deceptus, et nesciuerit, homines peccando aduentum illum per duo millia annorum impedituros.* Iure igitur ac merito haec deliramenta cum multi alii Theologi exploserunt, tum nuperrime summe Venerabilis CRVSIVS g) candide, quid de iis sentiat, exposuit, *temeraria, inquam, et*

a) Leipz. Gel. Zeit 1764 p. 445. b) in Conciliat. p. 39. c) in Timaeo.
d) Ps. XC, 4. e) Gemar. Sanhedr. c. X. § 29. f) Gem. Auod. Sar. c. I.
p. 65. g) in Hypomnem. ad Theolog. prophetic. P. I. p. 605.

inepta est opinio, aetatem mundi fore sexies mille annorum. Et, paucis interiectis, eos exagitat, qui fingunt, certam et determinatam metam mundo esse decretam, quae septem millenaria expleat, quia utraque sententia nec ratione nititur, nec reuelatione.

Neque minus Graecos de exquirenda die mundi interituri, quamvis ex aliis principiis, quae siderum motu nituntur, friuole disputasse, MICH. PSELLI testimonio confirmatur, qui hoc *δια κεναν αποδειξων*, h. e. vanis demonstrationibus fieri, recte pronuntiat. h) Ipsa autem eorum placita huc valebant: i) *η κοσμικη αποκαταστασις γινεται δι ετων μυριαδων εκατον εβδομηκοντα και πεντε προς τριχιλιαις διακοσιαις, και τότε γινεται συνodus παντων των ασερων κατα την τριακοστην μοιραν τε κακων, η την πρωτην τε λευτων.* Κατηρικαυτα γινεται ο παντελης τε κοσμου κατακλιςμος. Κατα δε την αποκαταστασιν των ελαχιστων ετων των ασερων οι μικροι κατακλιςμοι γινονται. h. e. magna mundi periodus absoluitur annis millies septingentis ac quinquagies mille et ducentis. Illo enim tempore omnium planetarum coniunctio fiet in trigesimo cancri vel primo gradu leonis. Atque tunc uniuersali diluuiio mundus obruetur. Post absolutas autem periodos minorum in planetis annorum particulares accident eluuiiones. Vnicuique enim stellarum errantium maximi, medii et minores anni sunt assignati.

Plures autem in ipso Christianorum coetu inuenti sunt, qui consilium computandi termini extremi inierunt. Et quidem alii illum annum mundo fatalem praefagierunt, quo dies mortui Christi nomine Georgii, Festum Paschatos Marci, et Trinitatis Iohannis in fastis publicis insigniatur, quod omen his rhythmis intexuerunt: k)

*Quand George Dieu crucifera,
Que Marc le ressuscitera,
Et que saint lean le portera,
La fin du monde arrivera.*

Henrico IV. imperante, AVENTINVS refert, l) famam quaquaerfum increbuisse, fatum uniuersalis excidii orbi terrarum anno post Christum natum MLXII. instare. Abbas autem Ioachimus ultimum mundi diem anno MCCLVIII. oriturum, multa cum fiducia Urbano III. Pontifici praedicebat. m) Inprimis vero post sacra à Megalandro repurgata veluti agmine facto homines nugiuenduli de fine mundi audacter disputarunt, multasque suis somniis turbas in coetu puriori excitarunt, quod ipse Lutherus grauitem

h) de omnifar. doct. Quaest. 125. i) l. c. k) Ephemer. Erudit. 1666. T. II. p. 124. l) Annal. Boi. L. I. m) Iq. Gerbard. Loc. de Extr. Iud. 68.

tem indignatur. n) Multi enim ipsum annum MDXXX. exhibita Angu-
 stana confessione nobilitatum, mundi fore ultimum, pronuntiabant. Alii
 MDXXXII. pro termino decretorio venditabant, qui verbis vatis diuini ex-
 primitur: o) VIdEbVnt, In qVeM pVpVgerVnt. Alii eundem ex titulo
 crucis extricarunt: p) IeSVs nazarenVs reX IVDaeorVM. Nominatim
 MICH. STIFELIVS, pastor ecclesiae Luchouienfis in Saxonia, praeter alias,
 quas iactabat, revelationes, etiam praedicebat, finem mundi die Luciae
 anni MDXXXIII. futurum, quo somnio in vulgus sparso rusticos suos adeo
 dementavit, ut eo anno neque ararent neque sementem facerent, sed genio
 indulgentes omnia absumerent, et tandem cum mendicitate conflictarentur.
 q) Pari temeritate Argentorati MELCH. HOFMANNVS annum
 MDXXXIX. pro ultimo habebat. q) Et fuerunt, qui IO. REGIOMON-
 TANVM, Mathematicum magni nominis secuti, annum MDLXXXVIII.
 ob coniunctionem trium superiorum planetarum, Saturni, Iouis ac Martis
 mundo exitialem portenderent; r) quorum vaticinium poeta his verbis
 complexus est:

*Post mille expletos à partu virginis annos
 et post quingentos rursus ab orbe datos,
 OStegimus octauus mirabilis annus
 ingruet, et secum tristitia multa trahet.
 Si non hoc anno totus malus occidet orbis,
 si non in nihilum terra fretumque ruent;
 Cuncta tamen mundi sursum ibunt atque deorsum
 imperia, et luctus undique grandis erit.*

Aliis annus MDCXIII. visus est ad exercendum iudicium uniuersale certissi-
 mus, quod idem in vocabulo IVDICIUM continetur, cuius omnes litterae
 numeros referunt. Alii, quod CHYTRAEVS refert, s) ad terminum
 mundi destruendi verba Christi adcommoabant: t) *sicut erat in diebus Noa-
 chi, ita etiam aduentus filii hominis erit.* Et quoniam à mundo condito
 usque ad diluuium anni MDLVI. effluerunt, totidem etiam annos à primo
 Christi aduentu usque ad secundum intercessuros statuebant. Numerum
 horum argurum auxit IO. HILTENIVS, monachus Iſenacensis, quem re-
 formationem Lutheri praedixisse constat, mundo finem anno MDLX. omi-
 natus. u) Alii annum MDCCCI. mundo feralem vaticinati sunt, w) DAN.
 KLESCHIVS, Morauus, ob portenta opinionum et excitatas turbas semel
 iterumque loco motus, et anno 1697. graui lapsu abreptus, anno MDCC.
 finem

n) Opp. Wittb. Germ. Tom IX. o) Zach. XII, 10. p) Joh. XIX, 19.
 q) Lutheri Comment. in Gen. XXIII. r) Perr. Gassendus in Vit. Regio-
 mont. s) in Genes. c. VI. t) Math. XXIV, 37. u) G. H. Goezii
 Sched. de Io. Hilteno, w) Jean d'Espagne Harm. Bibl. P. II. p. 201.

finem mundi futurum, nungabatur. x) I. W. PETERSENIUS autem, regni millenarii accerimus defensor, anno MDCCXXXIX. imminere illud fatum praedicebat. y) Celeberrimus Gallus, P. IVRIEV Papatui excidium anno MDCCXV. futurum, vniuerso autem mundo interitum anno MDCCXL. instantem minabatur. z) Anglus BEVERLEIUS vero anno MDCCX. eum terminum sigebat. Sectae Brügglesium in Heluetia addicti aduentui iudicis supremi ad iudicium uniuersale annum MDCCXLVIII. diem vero festo nati Christi assignabant. a) Idem mundo fatum anno MDCCCLXXII. futurum G. H. GIBLEHR, Past. eccl. Aspac. praenuntiavit, eiusque praeludia ad annum MDCCCLX. retulit, calculo hunc in modum subducto: *Von Christo bis auf diese Zeit sind 1702. Sonnenjahre, und restiren noch 58. Jahr. So bekomme ich 2300. Jahre. zu 1702. facit 1760. Vnd dieses soll und wird seyn derienige letzte Termin, in welchem Gott seine Verheissung den Iuden geschehen, vollenden, und den Anfang machen wird zur Eröffnung des himmlischen Jerusalem.* b) Multum etiam operae IO. ALB. BENDELIVS cum ad omnium temporum rationem enucleandam, tum inprimis ad diem mundi extremum definiendum impendit, cuius durationem ad annos 7777 $\frac{2}{3}$ refert, finem autem solstitio mensi- que Iunio assignat c) Neque ingenio neque labori hoc in negotio pepercit P. Angelus Floerchen, Ord. S. Bened. qui Chronologiam uniuersalem anno MDCCCLII. Hildesiae euulgauit, in qua de fine mundi ita disputat: d) *Mundus uniuersum durabit in praesenti statu annis 6144. cum triduo praeter horas 24. praeternaturales, scilicet 14. sub Iosua stante sole, et 10. sub Ezechia, sole retrogradiente. Ex hac asserti hypothesi infertur, diem 23. mensis Martii, fore dierum naturalium nouissimum. Nam iuxta regulas à nobis traditas et ex tabulis nostris chronologicis inuenies, anni 6145. aequinoctium, quod eiusdem itidemque praecedentis anni 6144. finis, contingere anno aerae christianae 2114. Martii die septimo, et quidem die Mercurii, media nocte praecedente. Itaque ipse dies 21. 22. ac 23. sunt ultimum illud triduum, in annum 6145. excurrens: dies autem 24. non erit dies naturalis huius temporis, sed primus ac nouissimus, et unicus aeternitatis: et sic dies 23. Martii erit iudicii extremi decretorius. His addi poterant NIC. CVSANVS, e) et Hier. CARDANVS f) qui anno MDCCC. mundo finem futurum vaticinati sunt, G. KOHLREIIVS, g) qui orbi terrarum annum MM. exitialem praedixit, et plures alii, si per angustiam chartae liceret. Vti*

x) Unschuld. Nachr. 1705 p. 516. et 1714 p. 264. y) l. c. 1710. p. 41.
 z) *Beurtheilung* Holland. Schul- und Kirchenf. P. II. p. 429. a) Act. Hist. eccl. P. 102. p. 911. b) *Giblehr* Ultimus et Nouissimus I C dies (*Erfurt* 1702) p. 14. c) in Ordine Tempor. c IX. d) Cap. VIII § 9.
 e) *Coniectures* tou-hautes les derniers tems, ecrites l'an 1452. f) de rerum varietate L. II. g) in Chronol. Sacr. p. 112.

Vti vero omnes augures vani fuerunt, qui illud tempus, quod iam effluxit, ad mundi interitum destinatum praedixerunt; sic nullum est dubium, eorum quoque vaticinia irrita fore, quorum complementum adhuc desideratur. Quod enim iam sua aetate AVGVSTINVS de hoc argumento sensit, idem omni tempore valebit. Ita vero ille: h) *frustra annos, qui huic saeculo remanent, computare ac definire conamur, quum hoc scire non esse nostrum, ex veritatis ore audiamus.* Et cur ignorantiam nostram in hoc capite fidei dissimulemus? quum constet, viros summae sapientiae laude celeberrimos, Iobum, i) Asaphum, k) Salomonem, l) et Siraciden, m) eam publice profiteri non dubitasse? Nec minus CICERO, quanta quanta rerum cognitione valebat, quum ad difficilem de anima quaestionem deveniret, *me non audeat*, inquit n) *fateri nescire, quod nesciam*: imo exemplo summorum philosophorum hoc confirmat: o) *nonne ex ceteris philosophis optimus et gravissimus quisque confitetur, multa se ignorare, et multa sibi etiam atque etiam esse discenda?* Non igitur solus Arcefilas à LACTANTIO p) Magister et Professor ignorantiae adpellari meruit, sed omnes omnino hoc nomine digni sumus. Neque sine iusta causa tot libri de hoc argumento in lucem prodierunt, e. g. NIC. CVSANI, q) GISB. VOETII, r) C. A. HEVMANNI, s) C. SONNTAGII, t) I. H. BARTHII, u) DAN. GERDESII, w) I. E. SCHMAVSSII, x) I. G. ALBRECHTI, y) et aliorum. Tantum igitur abest, ut viri doctrina celeberrimi hanc mentis humanae imbecillitatem ab se alienam putent, ut potius ignorantiam suam candide fateantur, et hanc confessionem aliis commendent, ea relinquentes, quibus explicandis ingenii humani vires inferiores esse sentiunt,

et quae desperant, tractata nitescere posse. z)

Testis est HVGO GROTIUS, qui aliis quidem monstrum eruditionis videbatur, et tamen eruditam ignorantiam mirifice commendat, canens; a)

Magis

h) de Civ. Dei c. 53. i) Iob XXVI, 4. XXVIII, 12. seq. k) P. LXXXIII, 16, 17. l) Coh. VII 29. VIII, 16, 17. XI, 5. Prov. XXX, 2, 3, 18, 19. m) Sir. III, 21. lqq. n) Quaest. Tusc. L. I. c. 25. o) l. c. L III, c. 22. p) Institut. diu. III. 6. 7. q) *Morhof* Polyh. Philos. L II, P. I. c. 9. r) in *Dispp. Select. Theol.* P. III p. 632. s) in *Biblioth. Brem. Cl. V. Fasc. II, p. 187. lqq.* t) *Diff. inaug. de ignorantia Theologor. laudabili, Jen. 1690.* u) *Diff. de docta in Theol. ignor. Argent. 1717.* w) *Diff. de eod. arg. Duisb. 1726.* x) de ignorantia erud. *Goetting. 1740.* y) in *Philoponematibus IV, de docta et laudabili in studio Exeget. ignorantia Fref. 1740-1744.* z) *Horat. Art. poet. 150.* a) in poematib. L. I. Epig. p. 285.

*Magis quiescet animus, errabit minus,
Contentus eruditione parabili,
Nec quaeret illam, si qua quaerentem fugit.
Nescire quaedam, magna pars sapientiae est.*

Cui SAM. WERENFELSIUS accedit, ita sentiens: b)

*Ad quaestiones plurimas
doctissima est responsio,
quum Nescio ais, vel Non liquet.*

Si placet, tertium audire tessem, illum IO. LAVR. MOSHEMIVS, at
quantus vir! praestat: c) omnia, inquit, scire velle, genus est intempe-
rantiae, sapientiae autem, in quibusdam ignorantiam profiteri.

Inprimis autem in doctrina fidei Christianae cauendum est, ne ultra
eos cancellos progredi audeamus, quibus Deus nostram cognitionem circum-
scripsit. Nam

*quicquid non docuit summi sapientia Patris,
a quo animo nescire homines, inscitia docta est.*

Quam in sententiam magnus Theologus, IO. ALPH. TVRRETIVS d)
bene monet: multum profecit in Theologia, qui didicit quaedam nescire.
Tali enim modo Scripturae S. dignitati consulitur, coniecturis modus
statuitur, litigandi fomes minuitur, luxurians ingenium compescitur, et am-
bitiosa curiositas refrenatur. Quaecumque igitur Deus nos latere voluit,
ea Deo relinquamus, in iis unice adquiescentes, quae reuelavit. In quo
ipse CICERO suo exemplo nos excitat, dicens: e) *Deus me non scire ista,
sed his tantummodo vti voluit.*

Hoc argumentum praesenti scriptioni ideo praemisimus, quod adhuc
in praelectionibus sacris, Huttero duce, caput de iudicio extremo perse-
quuti sumus, ut auditores nostri videant, quousque hoc in campo progre-
di, et quo loco pedem figere deceat. Quam vanos autem fuisse augures,
vidimus, qui mundi finem praedixerunt, tam sedulo cauere debemus, ne ad
securitatem deflectamus, sed ad vigilantiam perpetuam verbis apostoli exci-
temur: f) *καί τις προ των θυραων εστηκεν*, quandoquidem postremum diem
nos latere Deus voluit, ut omnes obseruentur. Inter alia vero indicia, quae
diem mundo fatalem imminere testantur, Iudaei hoc etiam referunt, quod
non tantum numerus piortum hominum, sed etiam discipulorum, sapien-
tiae

b) in Opuscul. Epigr. 106. p. 870.
var. gener. T. II. p. 16.

c) Obseruat. Sacr. p. 449.
e) de Diuinat. L. I. c. 18.

d) Opusc.
f) Iac. V, 9.

tia studiosorum, mirifice imminuatur. Ita enim R. IOCHANAN, de
 adventu Messiae ad iudicium disputans, ait: ג) רור שכן יור בא בו חלביי e. *antequam filius David venerit, pauci erunt discipuli sapien-*
tum. Sive enim haec verba de sapientia caelesti intelligamus, sive ad humanam
 illa referamus, vtrumque experientia confirmari, constat. De illo enim
 viros sacri ordinis perpetuo conqueri audimus. De hoc autem quis dubi-
 tet, qui videt, discentium numerum quotidie imminui, et inter eos, qui
 nomen scholae dederunt, perpaucos eam animi contentionem adhibere,
 quae requiritur ad iustum finem consequendum. Eo igitur maiori amore
 omnes ac singuli huius scholae magistri iuvenem amplexati sunt, viuidissimo
 ingenio florentem, felicissima memoria et iudicandi facultate praeditum,
 quae iuvenilem aetatem fere superat, vultu ingenuo ac modesto ornatum,
 et qui praeterea cum singularibus animi dotibus sincerum religionis studium,
 miram industriam, recte agendi curam, et incredibilem discendi pertinaciam
 coniunxit, morum autem probatissimorum facilitate et concinnitate in
 animos eorum omnium se insinuavit, qui eum vel viderunt, vel audierunt.
 Hic igitur, quod felix, laustum ac fortunatum Deus optimus esse iubeat,

CHRISTLIEB IMMANVEL RICHTER,
 Freiberg. Misn.

priusquam ex hac officina ad scholam superiorem se conferat, oratione
 stilo Latino concepta *antiquitatem rei metallica*e persequetur. Quod non
 modo ea pietate permotus facere decrevit, qua se Patronis ac Fautoribus
 obstrictum profitetur, quorum benevolentiam adhuc expertus est, sed imprimis
 eo etiam beneficio adductus, quod viatico et legato RICHTERIANO con-
 tinetur, Hunc et suo et commilitonum nomine votis, integerrimae amicitiae
 testibus, prosequetur

Fridr. Traugott Gaertner,
 Seifhennersdorf.

carmine Teutonico de *principatu urbium metallifodinis celebrium* praefatus.

Vos, qui ingenia complectimini, et literarum studii iustum pre-
 tium statuitis, ea, qua decet, obseruantia rogamus, ut cras, hora ante me-
 ridiem nona audita, hunc actum honorifica Vestra praesentia ornare,
 et peroratos beneuola auscultatione excitare velit. P. P.

Freibergae, a. d. XVIII. Mart. A, R. S. MDCCLXV.

Yb 627

22

ULB Halle
001 508 164



3

(811148)

TA-204

VD 18







195
2

VANVS
DIEI VLTIMI

AVGV

ORATIONI
IN MEMORIAM BENEFICII
RICHTERIANI

HABENDAE

PRAEMISSVS

A

M. IO. GOTTL. BIDERMANNO, R.

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXV.